

audiens, congratulantibus amicis, nullo tactus gaudio: Scitote, inquit, ex me & Agrippina nihil nisi abhorrendum & infaustum, ac publicè nociturum potuisse procreari: O infœlix, sed verax vates. Unde hæc tibi tanta præscientia futurorum? notus eras tibi tu, nota coniunx execrabilis, quis te impetus implicuit tam mœstis amplexibus? sed debebatur hic partus moribus humanis, & Princeps Imperio Romano, qui Caligulæ nomen ac titulos obscuraret, ac tu genituræ mirabilis pater, sciens Mundo nocuisti, clara profectò hinc illincque coniecturarum aderant indicia, quibus tam propriè ad communis filij notitiam penetrares.

VESPASIANVS AVG.

VEspasianus quidem (ne differã quod pollicitus sum) duos filios habens, quanquã nec hæreditas iam Cæsares faceret sed fortuna, nec ipse cuiquã suorum successisset, tam cõstanter tamẽ filium suum, quod mirabile est, vtrunq; sibi successurũ præuidit, vt multas coniurationes & insidias perpeffus, tandem in Senatu non dubitaret asserere: Frustrà se dolis appeti, & inani successu: se enim sublato, aut filios suos Imperium habituros aut neminem:

nem: